

**D I S S E R T A T I O**  
**INAUGURALIS MEDICA**  
**DE**  
**A N G I N A**  
**MEMBRANACEA,**

**QUAM ANNUENTE**  
**MAGNIFICO DOMINO**  
**PRAESIDE ET DIRECTORE,**

**INCLYTA FACULTATE MEDICA**  
**REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS HUNGARICAE**

**DOCTORIS MEDICINAE**

**OBTINENDO CONSCRIPSIT**

**JOANNES NEP. SZTRAZSIK.**  
**HUNGARUS SÁROSSIENSIS.**

**Theses calci adnexae disputabuntur in Palatio R. Sc.**  
**Universitatis maiori die Mense Mai. 1834.**

---

**PESTHINI,**  
**TYPIS JOSEPHI BEIMEL.**

## Definitio morbi.

Nomine *Anginae membranaceae* morbum designamus infantibus plerumque (non exclusive) insidiosum, symptomatibus catarrhalibus ingruentem, dyspnoea, voce rauca, tussi clangosa, haud raro per intervalla redeuntibus insignitum, ex statu inflammatorio laryngis et tracheae, rarius et bronchiorum, cum proclivitate in exsudationem materiae coagulabilis, emergentem, praecipiti suffocationis periculo stipatum.

Ex hac morbi descriptione utique clarum fit, cur eidem morbo diversa tributa fuerint nomina, prout nimirum hic, vel ille scriptor e symptomatibus essentialibus unum aliudve ut eminentes selegit, in hoc denominationis rationem ponens. Sunt vero eius nomina: *Angina exsudativa, strepitosa, polyposa*. — *A infantum, suffocatoria, suffocativa, strangulatoria*; — *Cyananche stridula* (Crawford) *trachealis* (Cullen), *humida* (Rush); — *Tracheitis infantum; Orthopnoea membranacea; morbus strangulatorius suffocativus; morbus truculentus infantum; suffocatio stridula* (Home). Cum vero cuncta haec particularium morbi symptomatum, aetatis, periculi rationem sequantur, Cel. Jos. Frank rude et vulgatissimum vocabulum Anglorum *Croup* \*) reliquis praefert, utpote quod nulli erroneae ideae alligatur. — Germanis dicitur: Häutige Bräune; Pfeisende Bräune; Hühnerhusten; Hühnerwehe; Schaafhusten; Fell auf der Brust. — Hung. Hártyás Torokgyék; vel Levegőtsöpip, vel uno verbo Pip.

\*) Asserente Cooke vocabulum *Croup* Scotis usitatum est ad designandam pelliculam albam rotundam in apice linguae Gallinarum, morbo pips laborantium.

## Succincta morbi historia.

Quamvis vero dissimile non sit, morbum, de quo loquimur, antiquissimis iam Medicis notum fuisse, inanes tamen certe sunt conatus, e locis summe ambiguis demonstrare, *Hippocratem*, *Aretaeum*, *Galenum*, *Caelium*, *Aurelianum*, *Celsum*, et alios \*), anginam membranaceam et novisse, et descripsisse. Prima illius vestigia in operibus *Ballonii* (rectius *Baillon*) occurrunt, nominatim in Op. Med. T. 1. epid. L. II. Const. hyem. 1576. legitur descriptio epidemiae Parisiis grassantis; post quem medici plures attentionem in morbum converterunt; ast absolutam *Croup* descriptionem medico Italo, *Martino Ghisi* debemus, qui in opere: *Lettere mediche*; la prima delle quali tratta di vari mali curati col mercur. Crudo, e la seconda contiene l'istor. delle Angine epidem. degli anni 1747. 1748. — Ab epidemia Parisiensi (1576) usque ad Cremonensem (1747.—48) nulla alia notata est, hinc per 171. annos epidemia anginæ membranaceæ non fuit observata. Proximam descripsit *Bergen* quæ Francofurti a. M. grassavit anno 1761., et eodem anno *Rosenius* similem Holmiae, Upsalæ, Hedemoræ, et alibi observavit. — Quæ hucusque sparsa occurrerunt collegit, et propriis observationibus locupletavit *Home*; auctor primæ de *Croup* monographiæ, quem postea copiosæ exceperunt mali descriptiones, inter quæ classica monographia inclaruit auctor C. F. *Michaelis*, præterea *Murray*, *Engstroem*, *Rush*, *Crawford*, *Bæck*, *Lentin*, *Callisen*, *Vicq-d'Azyr*, *Monro*, *Pinel*, *Albers*, *Matusevicz*, *Dreyssig*, *Gölis*, *Autenrieth*. — Ultima epidemia anginæ membranaceæ illa est, quæ Viennæ saeviit anno 1807., et 1808., qua durante e 500. infirmatis 81. necati fuerunt lactantes, et alii infantes; inde morbus ut sporadicus quidem descriptus, a nullo tamen medico epidemicus observatus invenitur. — Nec silentio prætereunda mihi videtur provocatio imperatoris Gallorum Na-

\*) Confer. Progn. Hipp. C. XV. recens. Alb. Haller. — Galeni Meth. medendi L. V. C. 12. de locis aff. — Cael. Aurelianus morb. chron. L. III. Cap. 1. — Aretæus de causis et signis acut. morb. L. I. C. VII.

poleonis ad medicos. Filius nempe Ludovici Bonaparte regis quondam Batavorum, inopinate e *Croup* periit, qua calamitate percussus pueri defuncti avunculus Napoleon; ipse arma inter et strages, medicos ad conscribendos de *A. membranacea* tractatus mille aureorum numorum proemio invitare non est dedignatus: Parisiis tribunal expertorum simul constituit, iubens, proemium optimo de natura et cura morbi scriptori decernere. Inter 83. tractatus pro concursu admissos, duo aequo pacto excellere visi sunt, quambrem proemium inter illorum auctores *L. Jurine*, et *J. A. Albers* bipartitum est. Acta tribunalis expertorum publici juris reddidit *Royer-Collard*, aliunde hac de re bene meritus. Ne vero merita virorum in hac quoque medicinae parte reticeamus, eos quorum laus praedicanda est, in *Literatura* consignavimus.

### N o s o g r a p h i a.

Aetati infantili periculo plenissima haec anginae species, praeter accidentalia numerosa symptomata, constantibus characteristicis distinguitur, maxime exordio, acme et termino morbi respondentibus, quin in similia manifesta stadia dividi possit. — Hinc arbitrarie admodum stadia anginae m. statuuntur. — *Autenrieth* tres minime tamen claro limite distinctas periodos assumit. *Horne* stadia duo alterum inflammationis, alterum suppurationis (?) distinxit; — reliquis plurimis conformiter *Royer-Collard* morbum in tres dividit circulos, inflammatorium, formationis pseudomembranae et adynamicum. Ceterum viri hi cuncti meritis clari, praecedentia morbum symptomata non praemittere non possunt, quae certe pro se stadium constituunt; quare et ego, casta Professoris mei experientia manu ductus, *quatuor* morbi stadia, perspicuitatis gratia statuere, maxime consentaneum duxi, puta: catarrhale seu invasionis, inflammatorium, transsudationis, et suffocationis aut resolutionis.

1. *Stadium catarrhale*, seu *invasionis*, quod mihi *prodromorum* etiam dici posse videtur, symptomata catarrho vulgaris offert. Parvulus somnolentus, lassus, morosus, lusibus aetatis suae vix va-



ledicens \*) de capitis gravedine conqueri incipit. Accedunt facies calens, sternutatio, stillicidium seri e naribus, oculorum rubor, lacrymatio, aurium dolor, copiosa salivae reiectio, respiratio durante somno facile ronchosa fit. Horis vespertinis calor, praevio aut intercurrente aliquando horrore, pulsuumque frequentia augentur (quidam febrim negant). Papulae rubrae interdum ad faciem linguamque efflorescunt. Fauces, inprimis tonsillae et uvula aliquando dolent, rubent, siccescunt, tument, pseudomembranis obducuntur, glandulae submaxillares turgent, ac deglutitio plerumque tunc impeditur, halitus male olet, ciborum desiderium languet, et lingua albo muco obducitur. Nonnulli aegrotulorum vomunt, (vomitum cruentum refert *Schuleze* p. 623.) in abdomine dolores colici non raro obtinent. Hic status 1 2. 3. dies durat, in casibus rarioribus in longius etiam protrahitur tempus. Imo his signis durantibus dispositio in morbum transire potest, quin perniciose evolvere possit angina. Ubi sub initium morbi tussis sputis mobilibus, catarrhoque nasali comitata comparuit, *Autenrieth* anginam ipsam evolvere nunquam observavit. Certissime vero prorumpit morbus, si raucedo oritur, quae sine febris quidem, ast lente et constanter increscit. — His prodromis praegressis, non raro vero absentibus repente: (tum vero eo maiori horrore distinctum) consuetim durante somno, frequentissime post mesonyctium vel expergefactionem e primo somno anginae membranaceae.

II. *Stadium inflammatorium* initium sumit respiratione difficultata, ronchosa, sibillante, aegerque sub maximo suffocationis metu, tussi sicca, latrante, nonnunquam solum rauca, excitatur, quacum sociatur sensus emboli in collo haerentis; vel, ac si antica colli regio fasciis constringeretur. Hac tamen etiam periodo morbum regredi, tussi post aliquot dies soluta, alvi-que evacuationibus numerosis; valde, foetentibus subsecutis observavit *C. Autenrieth*. — Non raro insultus hi tussis adeo ab invicem distant, ut aeger reliquo noctis tempore bene dormiat, et mane sequenti, respiratione quidem quadamtenus difficultata, febr-

\*) Exemplum memorabile refert *H o m e* an inquiry etc. the Croup 1765. p. 22. Aegra 8.

que aucta, secus fâmen apparenter sanus, imo serenus evigilet. — Inde pulsus frequentia constans permanet, numerat ictus 130. — 160., et fere semper plenus, durusque est, paroxysmorum et intervallorum liberorum tempore diversa omnino indole praeditus. — Singulus tussis insultus auctam pulsus frequentiam et duritiem sequelam habet. — A meridie, vel sub vespere, aliquando citius anxia revertitur tussis, per horas etiam non interrupta perdurans, sub qua infans, facie, colloque turgente, aërem captans, modo maxime anxio eiulat. Nunc respiratio extra tussis insultum etiam valde difficultatur. Inspiratio insultu quovis incipiente, peragitur singulari sibillante, fistulante, — exspiratio characteristico obtuso et pleno sono. Loquela difficilis, dolorifica, praecipitata, voce rauca et cava (voix creuse) peragitur, postremo vero adeo deletur, ut ne syllaba clara proferri possit. Saepe sub loquela et gemitu vox quasi duplicata est, e sono crudo, profundo, in sciendentem, subtilè transiliens (*Henke*). Tussis semper molestior et constantior, distinguitur sono singulari aspero, clangoso specifico, verbis neutiquam describendo. Hunc sonum compararunt cum voce gallinae pipientis, cum rugitu suis mactandae, cum latratu canis rauco. Secundum *Gölis* similis est latratui caniculi, vel voci mirantis, et irati galli gallinacei. — Saepissime tussis est sicca, interdum tamen aeger eiicit sputa pauca mucosa, sanguine striata. — Sub tali insultu facies rubet et turget, saepe livet, et fugaci genarum rubore notatur; postremo caerulescit, oculi micantes, protuberantes annulis caeruleis cinguntur, labia tumidula profunde rubra sunt. Multi infantes dolens accusant caput, somnumque soporosum, temulentum exigentes, diu conscientia carent. Praeter insultus hos graves principales, occurrunt saepe minores, tussi brevi, molesta, et anxietate magna insigniti; respiratio citata, perturbataque, raro solum lenta, gravis, convulsivis thoracis motibus absolvitur. — Febris continuo incrementa capit, siti inextinguibili, cutisque calore urente stipata. Pulsus initio notabiliter durus, post aliquot dies semper frequentior, debilior, quadamtenus irregularis fit. Urina solita est valde rubra, raro

limpida, aquosa, abdomen constipatum, aliquando dolores colici adsunt. — Tonsillae et linguae radix obducuntur crasse muco albo. — Aeger de sede doloris interrogatus, consuetim manum laryngi admovet, vel digitum inducit ori. Frequenter videre est parvulum in somno automaticè prehendere laryngem. Plurimi dolorem urentem dicunt, vel sensum corporis peregrini in larynge haerentis. Dolor profunde in laryngem descendit, estque tum rodens, vel pungens, rarius obtusus, motu quovis, sermocinatione, tussi animi affectibus augendus. In casibus quibusdam externe etiam collum dolet, rubet et tumet. Quo magis respiratio pipienti sibillo accedit, eo frequentius dolor constrictioni suffocanti accedit: — aegri tum linguam porrigunt, sed cito retrahunt, vel prehendere tentant. (*Michaëlis*) — Hi, hisque similes paroxysmi, spatiis semper brevioribus recurrunt, et provocantur per quemvis conatum respirandi, fletum et eiulatum, tussis vero constanter characteristicè extra insultum etiam adest. Febris pro tempore fere evanescere videtur, post insultum iterum recrudescent. Aegri solidos cibos facilius, quam fluida deglutiunt. Glandulae nunc in aliquibus crescunt.

III. *Stadium transsudationis* (formationis pseudo-membranae) Insultus fortissimi noctu ut plurimum obtinent, licet et postmeridie, ipse primus etiam compareat. In regula solum duo aut tres insultus principales manifestis remissionibus ab invicem separantur, serius confluent, dum insultus intercalares (secundarii) crebrius recurrunt, intensioresque evadunt. Pari ratione qua inflammatorius febris character evanescit, molestiae respirationis et dyspnoea augentur, inquietudine aegri simul crescente. Durante nunc insultu anxietas suffocationis fastigium attingit, aegri caput antrorsum prorsus inflectunt, manibus pedibusque corpus figunt, ut profundius respirent, erigunt sese, miseri e lecto exsiliunt, crines lacerant, digitos vulneribus mordent, adstantes amplectuntur, desperabundi, opem implorantes. Non raro, sub motu dilaniante in regione laryngis, clamorose eiulant, donec exhausti concidunt, licet musculi abdominis et diaphragmatis motum spasmodicum ultro peragunt.

Durante inspiratione hinc inde sternum cum extremitatibus costarum cartilaginosis adeo profunde inflectitur, ut fere spinam dorsi contingere videatur (*Reil*). — E somno soporoso, sub quo dentium stridor, et risus sardonius observatur, excitatur aeger subinde delirii intensis, in casibus rarioribus convulsiones, imo tetanus visus est. Labor hic aegri adstringens vires; cor, vasaque summopere incitat, pulsum fortem provocando. Tussi eiicitur plerumque mucus filamentosus, vel materia caseosa, puriformis, imo evacuantur parva foetentia cutis frustula, formae colorisque variantis. Quibusdam in casibus prodit tussi protrusa puri similis crusta pleuretica, non raro tubulosa, quam *Ghi si* iam cum corio pleuretico comparavit. (*Hufel. Jour. Bd. IX. St. 2. S. 183*) Non raro tussis sicca est, secretio vero muci et salivae in cavo oris aucta conspicitur. Dum et quando eiicit aeger sub ingulatu et vomitu frusta formatae in larynge pseudomembranae cum conspicuo levamine. *Royer-Collard* epistaxim vidit. Urinae sedimentum puriforme inest, obtinent etiam foetentes, diarrhoicae alvi evacuationes.

IV. c.) *Stadium suffocationis.* In plerisque aegris nunc, ab exordio morbi proprie dies 2—5 status soporosus increscit. Paucissimi conscientiam sui plenam retinent, in omnibus vires manifeste deficiunt. Fine facillioris respirationis aeger capite reflexo cumbit, quamprimum enim altius sedet, vel sese erigit, dispnoea semper augetur. Siti nimia non obstante parum bibit aeger, et ne suffocetur, haustibus valde exiguis; hoc tamen jam tempore sitis abest frequentissime, et in genere pauca sunt aegri desideria. Oculi turbidi, collapsi, fere clausi sunt; cornea pelluciditatem amisit. Tussis iam silet, rauco tamen fere in aphoniam abit. Sudore frigido, viscido tectus, infirmus foraminibus narium late patentibus, labiis oris acuminatis respirat; — sub singula inspiratione larynx fere maxillam inferiorem attingit. Subinde elevatur latus utrumque laryngis in tumorem emphysematicum, vel oritur, — praesertim morbo diutius excurrente, — oedema manuum et pedum. Passim lenes convulsiones hic ibi, et subsultus tendinum observantur. Cuncti corporis muscoli aspectu

horrido agitantur, ut opus respirationis absolvatur, oriturque sub inspiratione fovea supra osse sterni, sub expiratione vero regio epigastrica collabitur. Pulsus fit postremo parvus, et intermittens, extremitates frigent, excrementa involuntarie elabuntur; tum sub stertore terribili, semper tamen debiliori, sequitur tandem, praecedente haud raro lucido intervallo, consuetim die morbi 7mo mors. Qualiscunque autem sit morbi exitus, nunquam crisis ejus ultra diem 11mam protrahitur. Observati sunt casus, ubi aeger iam cum appetitu comedit, cum voluptate lusit, et durante remissione suffocatione obiit. Croup non raro secundo iam die necat; tum insultus intenso clamore oritur, sequuntur raucedo, tussis, convulsiones (Autenrieth).

IV. b) *Stadium resolutionis.* Sub rerum adiunctis faustioribus inter diem 5-11 copiosa sputa puriformia vel mucosa evacuantur, quae comite constanti euphoria subinde plures hebdomadas durant. Rarius, ut monuimus, concreta plastica etussuntur, quae serius alvo evacuantur, durante scilicet solutione e larynge a parvulis deglutita. — Sudor universalis calidus, urinae fluxus copiosus cum sputis salvantibus sociantur. In regula vero stadium convalescentiae longum est. — Rush observavit exanthema decurrente morbo forma parvarum macularum rubrarum oriri, cum conspicuo levamine, et alternatim bis, terve comparere disparereque. — Recidivae inflammatione superata sequuntur non raro, quae tamen periculo saepissime carent. Inter mala posthuma raucedo, dispnoea numerantur, et asthma millari evolutum ex angina m. auctores viderunt. Tussis retento sono priori croupali, post sanationem morbi diu saepe permanet. — Rarissime excipit anginam m. febris hectica.

Catarrhus pulmonum, peripneumonia, angina gutturalis, serosa, gangraenosa, aphthosa, tracheitis morbos sistunt viarum respirationis, qui cum angina m. praesertim in sui exordio, facile quidem; ast plerumque sine periculo confundi possunt, cum eandem stadio catarrhoso vigente pro salutari agnoscant Therapiam. Non igitur videtur mihi necessa-

rium differentias horum morborum a Croup, in opusculo quale meum est, longe lateque recensere. Id solum discrimen, quod Croup inter et Asthma acutum millari obtinet, cum a recto eius scrutinio vita vel mors pendeat, indicare; — deinde quod facilius erit, nostrum morbum a tussi convulsiva, distinguere adnitar.

### Asthma acutum millari. Angina membranacea.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Sporadice solum occurrit.<br>(Wichmann, Dreyssig)                                      | 1. Sporadice afficit, sed epidemica quoque observatur.  |
| 2. Subito absque prodromis invadit.   | 2. Lente et sensim oritur. Stadio prodromorum (catharhoso) manifesto.                         |
| 3. Rarius observatur.   | 3. Frequentior observatur (1. 10.)  |
| 4. Febri omnino caret, insultibus spasmodicis intermittentibus.                           | 4. Febri manifesta remittente stipatur (essentiale discrimen.)                                |
| 5. Tussis sicca, — pseudo-<br>membrana deest.   | 5. Sputa mucosa vel purulenta, forma lymphæ plasticæ varia.                                   |
| 6. Durante insultu dolor constringens in toto pectoris ambitu.                            | 6. Dolores pungentes in larynge et trachea, imo externe etiam nonnunquam rubor et tumor.      |
| 7. Tussis analogæ est latratui canis magni, senio confecti, vox profunda, aspera et cava. | 7. Tussis clangosa, latratui canis juvenis similis, stridor, et maiori subconamine vox acuta. |
| 8. Perfecta symptomatum intermissio pluribus horis ac diebus observatur.                  | 8. Omnis omnino symptomatum intermissio nunquam adest, verum solum remissiones.               |
| 9. Symptomatibus spasticis, nervosis stipatur toto suo decursu.                           | 9. Status nervosus ultimo stadio obtinet.   |
| 10. Antiphlogisticis exasperatur, solum antispasmodicis cedit.                            | 10. Methodo antiphlogistica debellatur, nervinis ultimo stadio cedit.                         |



## Tussis convulsiva.

1. Stadium catarrhosum longum, 8—14. et ultra dies durat.
2. Tussis initio catarrhalis, vox et loquela naturalia.
3. Febris fini morbi accedens ad nervos asperinet.
4. Dolor pungens ante et post paroxysmum pectus et hypochondria occupat.
5. Echimoses tunicae conjunctivae oculi post atroces paroxysmos observantur.
6. Pluribus mensibus decurrit.
7. Pulmones in demortuis laxi, flaccidi, volumine immixti reperiuntur.

## Angina membranacea

1. Stadium catarrhosum aliquot horis, raro diebus durat.
2. Tussis, vox, loquela propriae et peculiare.
3. Febris comes inflammatoria.
4. Nonnunquam dolor adest in larynge et trachea.
5. Hic nunquam.

## Autopsia cadaverum.

Cadavera ex Croup peremptorum exhibuerunt *superficiem externam* illis appoplecticorum et suffocatorum similem; faciem pallidam, flavam, lividam, tumidulam; oculos prominentes, venas colli turgidas; pectus circa tertiam et quartam costam striis sanguineis notatum aliquando extremitates tumidulas; inflammationem membranae pituitariae, veli penduli, palati et corporis thyreoidei; fauces a pseudomembranis obductas; oesophagum nunc sanum, nunc phlogosi correptum; — *glottidem* angustam, dilatatam, materia glutinosa, puriformi obturatam; — *epiglottidem* normalem, inflamatam, tumidam, oedemato-

\*) Testantibus sectionibus path. CC. Royer-Collard, J. Frank, Michaëlis, Lentin, Haase, Harles, Albers, Pinel Goullis, Dick, Home, Jurine, Ghisi, Callisen, Crawford, etc. etc.

sam, mucō coopertam, pseudomembrana tenui (illius superficiei inferiori adhaerente, cumque membrana interna laryngis, ac illa glottidem vestiente, arcte concreta) obductam; — *laryngem* normalem, cum glandulis prominentibus, cum humore viscoso, cum rubore et tumore membranae mucosae, cum pseudomembrana formam parietis posterioris referente; — *tracheam* inflammataam plerumque pseudomembrana tenaci, compacta obductam (quae pseudomembrana crassitiem linearum 2 — 3. et ultra habens, nunc tracheae formam refert, nunc eam bipartit, nunc instar valvulae parietibus adhaeret, nunc lacunas, indicia scilicet frustulorum sub morbo reietorum, relinquit, nunc denique firmiter tracheae adnectitur, aut ab ea intermedia materia fluida glutinosa separatur (tracheam inquam sine inflammatione, sine pseudomembrana, sine lymphā coagulabili, cum excrescentiis polyposis parieti illius posteriori adhaerentibus, cumque massis minoribus in mucō suspensis; — *bronchia* inflammata materia pullacea, lymphā coagulabili, mucō cum flocculis, concretionibus polyposis, e trachea pendulis, mollioribus repleta. — Massae seu concretiones ex Angina n. quacunque denuum in canalis aërei parte efformatae, pro re nata albae, flaviusculae, et bruneae, griseae, virides, nigrae, splendidaeque cernuntur. Pseudomembranae, quae cum membrana mucosa tracheae cohaerent, saepe strias sanguineas, vel puncta cruenta exhibent, quin vasa sanguinea, vel fibrae, in iis hucusque demonstrari potuerint. *Pulmones* vel sani sunt, vel aëre expansi, crepitan-tes, coloris rosei, inflammati, variegati; interdum lobus unus alterve pulmonum sanguine turgidus, ecchymosi notatus, reperitur. *Pleura* et pars thoracica *diaphragmatis* leviter inflammata visa sunt. Detecti porro fuere liquor extra vasatus in saccis pleurae et *pericardii*, — sanguis conrumatus in *cordis* ventriculis, praecipue in auricula dextra, — *Aorta*, *arteriae pulmonales* vacuae, venae cordis repletae, glandula *thymus* magna, *viscera abdominalia* in statu normali, volvuli intestinorum ventriculus mollis pituita repletus, glandulae mesenterii induratae, — *cerebri* sinus et vasa, inprimis venae, sanguine atro turgi-



dae, interdum serum extravasatum in cerebri ventriculis, vel ad basim cranii praecipue in fossa occipitali inferiori, item inter meninges; — *cerebrum* normale punctis rubris insignitum, ita etiam medulla spinalis; — in nervis tum illo vago, recurrente laryngis, tumque intercostali nihil abnorme.

— *Analysis chemica* hucusque docuit, concrectiones ex Croup formatas albuminis coagulati naturam habere. Enimvero illae nec aqua frigida, nec fervente, sed in alcali, diluto aqua, praecipue in maiori caloris gradu solvuntur. In combustis vero pseudomembranis continetur carbonas sodae et phosphas calcis. Qui experimentis ulterioribus istam doctrinam excolere satagunt, observationes *Berzelii* de varia mucii conditione secundum varias membranas eum excernentes, pro fundamento habeant:

### Aetiologia.

1) *Dispositio*. Inclinat ad anginam m. inprimis aetas infantilis, cuius morbus proprius merito dicitur; partim ob maiorem organorum, morbo corripit solitorum hac periodo sensibilitatem (*Stoll*), inde dentitio evolutioni ejus favens observata, — partim, praeunte *Marthus* his vitae annis celerrimum organorum vocis et loquelae incrementum. Rarissime observatus fuit morbus primis vitae mensibus, frequentissime vero occurrit inter annum 1—7; — familiaris ab anno 1—3; rarior longe inter 8 et 11 vel serius. Casus singulares omnivitali periodo adnotantur; *Thilenius*, *J. Frank* et *Stoll* viderunt anno 16—18. — complures observatores inter 30—40 *Hufeland* anno 60. *Chambon de Monteaux* plane anno aetatis 70. — Durante epidemia, quam *Böhmer* observavit anno 1783. Si fides habenda, adulti solum corripiebantur. Morbus autem aetate adultiori decursu magis chronico distinguitur, saepe tamen morte terminatur (*J. Frank*) — *sexus* discrimen docuit, pueros facilius aegrotare. Infantes plethorici, irritabiles dispositione in morbum excellunt, dum debiliores, phlegmatici eam minori in gradu possident (*Hildenbrand*). *Porter* prolim parentum opulentiorum frequentius, rarius pauperum infantes Croup affici asseruit. *Albers* infantes in ca-

tarrhales affectiones pronos in anginam m. prae aliis dispositos esse docet. — Observationes a *Lentin* et *Stieglitz* factae evincunt, certis familiis cynanchen hanc esse morbum haereditarium. — Aestate rarius occurrit, frequentissime hyeme — favens praecipue ei est ver calore rapido insigne. — Loci relationes evolutioni morbi faventes sunt, dum fluviis, lacubus paludibus adjacet; vel, dum orae montosae lacus recondunt, aut locus mari adjacet. — Attentionem praecipue meretur praematurus victus animalis, aromaticus, quatenus in genere dispositioni in morbos inflammatorios amicus est. — Hoc respectu ab adversariis vaccinatio etiam immerito certe accusatur.

*Excitant* cynanchen stridulam 1-o *frigus humidum*, inprimis atmosphaerae vicissitudines, inundationes, humectatio pedum, evaporatio linteorum madidorum, habitatio in cubiculis calce recenter inductis, aer nocturnus. Hanc causam frequentissimam esse auctores ab Hippocratis tempore, qui grassari anginas, ubi fiunt imbres asserit, omnes affirmant. *Vallbom* in *Fortsætting of Provincial Doctorernas Beraettelser*. Stockholm 1765. p. 277. ait: „cum versus mensis Novembris finem et Decembris initium coelum serenum aërque intense frigidus fieret, morbus iste cessavit; redibat tamen cum tempestatis pluviosae ac humidae inclementia.“ Idem testantur *Albers*, *Harles*, *Michaëlis*, *Sachse*, *Haase*. De aëre nocturno exemplum clarissimum enarrat *J. Frank* P. II. Vol. 2. p. 123. *Tulpius* L. III. C. 41: de cubilibus dealbatis idem asserit. — Infantes lotricum Croup saepius affici *De la Fontaine* observavit. 2-o *Ventus septentrionalis ac eurus*, quia auctoribus uno ore fatentibus angina m. morbum sistit regionibus septentrionalibus maxime addictum. 3-o *corporis estuantis refrigeratio*, maxime a perversa hodierna vestiendi ratione, brachiis, pectore et collo denudatis, quae rationem simul reddere videtur, cur Croup frequentius nunc obveniat, quam olim — a potu gelido, inprimis post cursum et cantum, a rescissione capillorum, (*Sömmering*) et 4-to, *morbi potissimum exanthematici*, ut morbilli scarlatina, variolae, urticaria, erysipelas, herpes et aphthae. Id vero non impedit, quominus hand raro pro causis etiam disponentibus

habendi sint, quod omnino observationibus virorum, clarorum constat, qui post exanthemata vix superata. Croup evolvi testantur, — imo *Royer-Collard* plus his morbis quam causis externis potentiae in formandam a membranaceam tribuit.

*Causa proxima.* Angina membranacea in essentia sua consistit omnino in inflammatione viarum aërearum, et pseudomembrana illa solum ut sequela, quadamtenus ut exitus, crisis phlogoseos, perinde ac sputa in peripneumonia, consideranda est. Falsum igitur certo respectu est, characteristicam morbo dicere genesis membranæ spuriae. Si enim minor est vehementia morbi, tunc nec formatio membranæ verae absolvitur, sed obtinet solum transsudatio lymphæ tenacis, coagulabilis, aegerque eiicit massam caseosam, grumosam, vel concrementa tubulosa. Jure itaque morbus non angina membranacea, sed potius laryngitis vel tracheitis infantum dici meretur. Videtur attamen in universo organismo propriam, certe specificam relationem locum habere, qua, ceu conditione inflammationis topicae, propria morbi forma ponitur, neque e peculiari organorum affectorum structura, neque e relationibus aetatis infantilis singularibus explicanda, cum et aliae morborum in tractu spirali formae transsudatione terminentur, quin Croup adsit. Quare recentiores quidam (*Autenrieth*) non sine fundamento peculiarem lymphæ acrimoniam, seu ejus auctam copiam et nisum in coagulum, in morbo croupali assumunt, cuius in vias aëreas actio, inflammationem et lymphæ talis ibidem depositionem provocat; quae lymphæ indoles propria epidemica constitutione, catarrhali analogâ, generatur, e qua postea epidemiae anginae m. a medicis tam frequenter descriptae, oriuntur; sporadice vero adgreditur morbus, ejus conditionibus individualiter evolutis.

Cur autem morbus fere exclusive infantes adgreditur? Ratio eius ut iam dictum, in celeri tubi respiratorii, praecipue vero laryngis evolutione situatur, unde haec organa insigniter maiori lymphæ et humorum plasticorum adfluxu patent, et ideo etiam hoc in rerum statu receptivitate et irritabilitate exaltata

praedita sunt: quod luculenter demonstrat progrediens vocis et laryngis mutatio, quae cum praesertim in sexu masculino manifesta sit, patet: frequentiore anginam m. virili prae faemineo sexu constituere morbum. Ex his organismi infantilis relationibus morbi evolutio clariorem acquirit genesim, — perinde ut hydrocephalus constitutione propria corporis infantilis, febris puerperalis in relationibus graviditatis radican- tur.

Morbum *epidemicè* grassari posse partim aetiologicae rationes probabile efficiunt, partim vero observationes medicorum extra dubium ponunt. Hinc mirum est, auctores aliquos (*Rormey, Jörg*) negasse, croup epidemicum fieri. *Jos. Frank* mentionem facit 37. epidemiarum a celebratissimis viris observatarum et descriptarum; fatetur tamen, sibi crebriorem morbi obventum per se observatum haud sufficere, ut morbus pro epidemico declaretur.

Longe plus de *contagiosa* anginae m. indole inter medicos disputatum est, quaestione nec hodie superata. Primus morbum pro contagioso declaravit *Rosenstein* (*Kinderkrankheiten 1798*), quem cum aliis pluribus, secuti sunt: *Marcus, Kopp, Stiebel* et *Gölis*; — ultimus non solum numerosas historias contagii effectivi enarrat, sed asserit etiam, medicos multos Viennenses de vi ejus inficiente perfecte persuasos fuisse. — Viri insignis auctoritatis: *Jurine, Albers, Royer-Collard* et *Sachse* contagium negant. In hac medicorum dissensione rationi et experientiae conformiter croup sub certis rerum adiunctis contagium evol- vere posse maxime probabile est. Quemadmodum enim evictum est, complures morbos, quorum radix in membrana mucosa locatur, contagiosos esse, ut sunt: corrhyza, variolae, morbilli, scarlatina, dysenteria etc.; ita dubitari vix potest, in horum consortio decurrentem anginam m. ipsam quoque cont- agio propagari. Hanc in rem opinio *J. Frank* utique mihi placet: „Quamvis pluries aegrotos croup labo- rantes ab aliis infantibus circumdatos vidi, quin mor- bus illos attigisset; quamvis et duae virgines 15 an- num aegentes, quas 1816. croup detentas curaveram, in domo educationis degerent“ in qua perfecta sepa- ratio vix locum habere potuerit; morbusque nihilo-

„minus ad alias puellas non propagaretur: attamen  
 „malo in re tam ardua iudicium potius suspendere,  
 „quam praecipitare. Interea certum est, quod croup,  
 „qui morbillorum scarlatinaeque est comes, a conta-  
 „gio excitatur, quodque etiam a nemine negatur.“

### P r o g n o s i s.

Morbus acutus nostro periculosior vix existit. Na-  
 tura in eo sanando parum vel nil valet: \*) — nisi in  
 primo limine arte vincatur; de vita ut plurimum actum  
 est. Cum vero diagnosis in primo morbi limine ad-  
 modum difficilis sit, dubium in sanatis, num verus  
 croup adfuerit nec ne, saepe relinquitur. Patet inde  
 certam proportionem peremtorum et sanatorum neque  
 inter se, neque relate ad morbos in genere stabiliri  
 posse. \*\*) Non facile respondere est ad quaestiones:  
 num croup sit periculosior in regionibus septentrio-  
 nalibus, quam in meridionalibus? num saeviat magis  
 uno anni tempore, quam alio? num infensior fiat pue-  
 ris quam puellis? num peior dum laryngem aut tra-  
 cheam definet. — Certissime magis lethifera est an-  
 gina m. aliis morbis (exceptis morbillis, in quibus ut  
 symptoma occurrit) iunctus, quam simplex, et longe  
 minus illa hominum adultorum, quam infantum. Ne-  
 cat spatio horarum 42—15, nychthemeri 2<sup>di</sup> — 8<sup>um</sup>,  
 rarius tardius; quamvis aliquando morbus ad hebdo-  
 madas 3—5 protrahatur; — ne de croup chronico, aut  
 de phthisi inde evoluta dicam. Enimvero et anginam  
 m. suos habet exitus per resolutionem (perfectam ac

\*) Jurine exemplum morbi sponte sanati narrat. — Goelis plura. —

\*\*) Amiserunt Home inter 13. aegros 3.; Field inter 4.  
 nullum; — Wahlbom inter tres 2; — Pinel inter  
 quatuor 3; — Michaëlis, Gutfeld, Chambon di-  
 midium; — Lentin inter 15. octo; — Anderson  
 inter 7. nullum; — Sachse inter triginta et octo 22; —  
 Jurine inter 28. tres; — Haase inter 143. sexaginta;  
 — Goelis inter 252. quinquaginta et sex; — Tre-  
 ber inter 87. septemdecim; — Felicissimus Albers  
 qui ex 30. infantibus (recenti morbo laborantibus) ne unum  
 quidem amisisse, et nonnullos, quorum morbus fastigium  
 ascenderat, salvasse gloriari potest.

imperfectam) per suppurationem, per suffocationem, per virium extinctionem, et per accessum aliorum morborum.

1. *Resolutio.* Medela votis mature respondente, primum affectio laryngis et tracheae (plerumque nulla praevia evacuatione) evanescere, ac dein febris curriculum (catarrhalis simplicis vel complicatae instar) absolvere solet. Viderunt tamen auctores febrim et ante affectionem laryngis disparuisse. Crisis febris per urinam sedimento furfuraceo instructam, per sudorem modicum aequalem et universalem, per eruptionem cutaneam in collo, per salivationem (quae si a hydrargyro exhibito inducitur, critica non est) per effluxum e naribus, contingit. Bonis quoque signis sternutatio, tussis clangosae in catharrhalem mutatio adnumerantur. Morbo proveciore terminaturo, saepe mucus, quandoque sanguis, et rarissime pseudomembranae reiiciuntur. Quamvis enim reiectio pseudomembranae levamen pro tempore adferre soleat, non facile tamen morbus inde solvitur (*Glisi, Baeck, Salomon, Rush* et alii). Nec ad solutionem morbi reiectio pseudomembranae praesentis absolute requiri videtur (*Home, Sachse*). Unicum fugati morbi certum signum in respiratione, *constanter libera reddita habetur.* — Potest tamen (absoluta ceterum morbi crisi) pseudomembrana relinqui, et cum parietibus laryngis aut tracheae concrescere, inde ex tubo aëreo angustiiori reddito raucedo, respiratio sibilosa, difficilis remanet, (*resolutio imperfecta*).

2. *Suppuratio.* Cum morbus frequentius occurrit, auctoribus et hunc exitum observandi occasio fuerat (*Flormann, Portal, J. P. Frank*). Quod imprimis inter adultos obtinet, tumque formatur *abscessus* laryngis tracheae.

3. *Suffocatio.* Communissimus vero anginae m. exitus (maxime timendus, si morbus neglectus fuerit, si tussis evanescat, si sudor partem corporis superiorem detineat) suffocatio est. Periculum illius magis ex conditione loci affecti, quam ex indole morbi dependet, — vel enim mucus tracheam obruit, vel inflammatio aut spasmus eam angustant, vel epiglottis intumescit, sicque infausta morbi terminatio adduci-



tur, — adeo, ut versatissimus hæc in re *Albers* asserat: morbum si aliud organon, non quod ad functionem irromisse vitalem, nempe respirationem, peragendam destinatur, invaderet, tam vilem levemque futuram, ut ne animadversionem nostram in se traheret:

4. Nec vere fatalis morbi exitus semper suffocationi adscribendus est, sed potius *debilitas*; ut effectus tum constitutionis laxae et scrophulosae corporis, tum nixus in opere respirationis perficiendo, tum impediti processus oxygenationis sanguinis, tum methodi antiphlogisticae sero nimis adhibitae, tum indolis febris (e. gr. naturae typhoideae) interitum properat. Huic etiam tribuendum, quod lucidum intervallum mortem prope praecedat, a resolutione musculorum laryngis derivandum; hinc saepe vana sanitatis reducis spes medicum incautum ad felices exitus praesagium seducit. — Quodsi vero accessus aliorum morborum, apoplexiae, hydrocephali, et polyporum vasorum maiorum, malum exasperet, sponte patet interitum aegri accelerari.

5. *Convalescentia* non praedicanda prius, quam affectio laryngis et tracheae simul cum febre *plane* evanuerit; periclitatur enim navis aliquando in ipso portu. \*) Ceterum non ignorandum aliquando absoluta angina m. insontem raucedinem ac tussim generis catarrhalis pro tempore relinqui — (*Bard Sachse Viensseux Royer - Collard*); — exemplum etiam raucedinis anterioris per croup debellatae exstat. \*\*) — Id etiam commune cum inflammationibus aliis morbus habet, quod proclivitatem in *recidivas* relinquere soleat, quae morbo priore iam leviores (*Home, Albers, Jonas*) iam graviore sunt (*Sachse, J. Frank, Goelis*).

Respectu vero praesagii, cum ars medici in hanc rem maxime conspicua luce fulgeat, iuvabit quasdam adnotare regulas, quas e copiosissimis observationibus Cel. *Goelis* statuit. — Sanitatis spes sequentibus in casibus foveri potest, si ad inflammatorii stadii finem sudor universalis erumpat; — si sub sanguinis flu-

\*) Confer terribiles hoc respectu observationes 37. 50. 61. Haasii.

\*\*) Hopfe Abhandlung über den croup etc. Hanau 1808.

xu symptomata suffocationis remittant, pulsus elevatur, tussisque rarior evadit; — si coryza gravis in primo stadio superveniat, aut in secundo haemorrhagia narium accedat; — si urina turbida, mox mucosa, album sedimentum deponat; — si sub calomelis usu levia tormina et alvus copiosa, viridi muco mixta appareat. Casus ab his diversi infausti exitus metum provocant. — In genere quo iunior aeger, eo periculosius ceteris paribus decumbit; — quo citius in usum vocantur remedia indicata, eo maior eorum efficacia. Sanatur autem angina m. in primo stadio facillime, facile in secundo, difficile in tertio, et in quarto nunquam.

### T h e r a p i a.

Morbus tam periculosus tempus medicamentorum selectui vix reliquens; multum tamen de lethalitate remisit, a quo medicorum cura rationale eius advenit tractamen. Longe tamen plus lucri morbo diro expositis offerri posset, si quod tentum fuit, prophylaxis effectui daretur. Cum tamen certum morbum praeventens remedium hucum notum non sit, incerta hoc respectu est agendi ratio. Remedia prophylactica, quae ab auctoribus iactantur: *calomel*, *balnea calida*, *vesicatoria ad collum*, *sulfur auratum antimonii*, *radix polygalae senegae*, *camphora*, *alumen*, *vinum scorbuticum*, pares encomiatoribus habent adversarios. Sic *Authenrieth*: Putarem *mercurium*, quatenus humores ad fauces determinat, easque specificè irritat potius damnosum, quam proficuum esse. — *Michaelis*: cum *balnea calida*, nisi cum summa cautela adhibeantur, ad refrigerium disponant; putarem ideoque illa potius ad morbum promovendum, quam antevertendum idonea esse. — *Crawfort*: scopo causam catarrhalem ad tracheam determinandi? alium enim agendi modum a *vesicatorio* ut prophylactico exspectare nequeo! — *Sachse*: *antimonium*, *senega*, *camphora*, quatenus irritantia, ad morbum generis inflammatorii potius disponere debent. — Ut adeo de specificis his praeservativis certi nihil constet, sed potius laryngi et tracheae, dum annua constitutio erup faciat, pax concedenda (*Sachse*). Idem de hi-



rudinibus, emeticis, nitrate potassae valet. — Cardines generalis prophylaxeos autem sunt: ut matres per libros populares de existentia; de signis praecipue prodromis, de causis excitantibus, et de periculo morbi instruantur, moneanturque de necessitate, vel minimo huius morbi dubio obveniente, medicum illico vocandi. In regimine diaetetico regulae generales valent. Porro quousque contagiosa morbi indoles decisa fuerit, eousque cautelas in contagiis adhiberi solitas, et hic commendamus.

Quamprimum autem indicia, licet adhuc dubia, anginae m. obveniunt, illico ad *activam medendi rationem* confugiendum est, \*) quae nullatenus specifica extraordinaria, implicata est, sed mera *methodus antiphlogistica*, qualis adversus febres et inflammationes catarrhales in genere, habito complicationum respectu, adhibetur. Quidquid haec methodus non efficit, ab omni alia incassum expectatur; unde cavendum a labyrintho therapeutico, ad quod inexpertus in praeiis per indigestam diarium medicorum lectionem perducitur.

Tres autem in morbo evoluto, causali ut plurimum iam locum non habente, proponimus nobis in curando *indicationes* 1° Inflammationem resolvendi. 2° effectus ab illa superstitibus abigendi. 3° viribus vitalibus prospiciendi.

*Primae indicationi* satisfit 1) *Venaesectione*, quae operatio quamvis votis non semper respondeat, \*\*) nihilominus, paucis contradicentibus (*Pearson, Double, Autenrieth*) princeps anginae m. auxilium sistit. Sic docent inter doctrinae coryphaeos, *Ghisi, Home, Michaelis, Jurine, Sachse, J. Frank* et alii multi. Indicant praecipue venaesectionem (nullo morbi tem-

\*) Thilenius: in Catarrhal-Epidemien muß man keinen rauhen Husten der Kinder zu gering achten, den Hauptfeind keine Stunde verkennen.

\*\*) Anginae m. irritarum venaesectionum lethalia exempla describunt Wood, Balfour, Schultz, Michaelis, Haase et alii. — At vero, estne croup solus morbus, in quo venaesectiones certissime indicatae votis non semper respondent? Nonne idem centies in peripneumonia aliisque inflammationibus, in apoplexia etc. observatur?

pore excepto) \*) genius inflammatorius morborum regnantium, constitutio florida aegrorum, febris conspicua cum pulsu pleno, duro, facies rubra, respiratio difficilis, dolor laryngis aut tracheae, verbo status inflammatorius universalis. Indicatae ceterum venaesectioni nec tenerrima aegrorum aetas obstat, (*Home, Ferriar, Carron*). Locus maxime idoneus brachium est, sunt tamen, qui pedem (*Jurine, Haase*), venam iugularem (*Dick, Bayley, Cheyne, Jurine, Haase*), arteriam temporalem (*Albers*) eligant. Copia cruoris educendi a rerum positionibus, venaesectionem indicantibus, determinatur; — generatim regula unciam unam et semis pro quovis aetatis anno detrahendi valere potest. Venaesectio *reiteranda*, si status morbi, qui primam phlebotomiam exposcebat, praesertim dyspnoea, congestiones ad caput, perseverat, ac vires se sustinent. Verum ne limites excedamus! quod illis, qui sanguinem ad animi deliquium mittendum esse statuerunt, contingere videtur (*Albers, Swieten*). — 2° *Hirudinibus*. Peracta venae sectione, aut ea, in minori mali gradu, aut ob incertam adhuc diagnosim, haud indicata, ad hirudines confugiendum. Minime hirudines unquam venaesectionis omnino indicatae vices agere possunt, \*\*) nisi forte in tenerrimis infantibus, dum venis brachiorum, scopo phlebotomiam imitandi, admoventur, quod et in aliis morbis recens natorum usu venit, in quibus hirudinibus lanceolae loco uti organismus imbecillis iubet. — Ad evacuationem localem cruoris obtinendam, hirudines ad

\*) Aurea sunt verba C. Saohse (P. II. p. 57.) „Ohne Blutausscheidung sind die Kinder doch gewöhnlich verloren; ein ungewisses Rettungsmittel ist besser als gar keines; und gesetzt es Hülfe nicht, so erleuchtet es doch wenigstens den Tod. Tage und Stunden können und dürfen hier nichts bestimmen, nur die Constitution des Körpers, der Genius der gleichzeitig herrschenden Krankheiten, und die Heftigkeit der Zufälle müssen den Arzt leiten.“

\*\*) Gravior vix datur in praxi error; enimvero venae sectio cruorem a loco affecto revellere; hirudines autem sanguinem ad locum, prope quem ponuntur, determinare solent. Prima hinc illarum actio, suctio scilicet, nocet, et solum sequens vacuatio invat, ac detrimentum illatum (in leviori, ac non in graviore malo) compensat.

latera laryngis et tracheae, vel tutius super sternum et claviculas applicantur. Cruoris extrahendi potius copia, quam hirudinum applicandarum numerus, determinari deberet, si hic certi quid statui posset, in quo practici medici ars theoriam subtilem longe vincit. In genere, quo tenuior aegrorum aetas, quo delicatior, magisque venis iusignita cutis: eo cautius cum hirudinibus incedendum. Nam saepe a duabus hirudinibus tantum cruoris defluit, quantum per illarum decem obtinere desideramus. *Hufeland* a tribus hirudinibus tantam cruoris iacturam observavit, ut infans in lipothymiam incideret. — Optandum vero, ut saltem dimidium praegressae venaesectionis, aut si haec omissa fuisset, et solae hirudines sufficere debent, ut circiter uncia una et semis cruoris, proportionem singulorum aetatis annorum obtineatur. Si prima hirudinum applicatio levamen adferat, at vero malum adhuc perstet, secundae, tertiae, quartaevae illarum applicationi, minimis intervallis sibi invicem succedentibus, locus foret. Deficientibus hirudinibus *cucurbitulae cruentae*, aut *scarificationes* in collo, pectore, interque scapulas substituuntur. — 3<sup>o</sup> *aliis antiphlogisticis*, quibus evacuationum cruentarum effectus sustinendus est, quorum praeterea ope, profligata affectione locali laryngis aut tracheae, cura morbi, febris scilicet catarrhatis, secundum regulas notatas absolvitur. Praecipue laudari merentur *nitras potassae*, et *urias ammoniacae* in vehiculis emulsivis, aut mucilaginosi administrata. Acidorum usum ne cogitare quidem licet. Potus aquae frigidae a priori indicare videtur; at quis hic periculum cum eo instituere audeat? \*) — 4<sup>o</sup> *Epispasticis*, *pediluviis*, *balneis*, *clysteribusque*; effectum methodi antiphlogisticae *synapismi* suris, cruribus aut brachiis admoti secundant, utpote symptomata febrilia et potissimum

\*) Ingenue fateatur *Jos. Frank*: „Quoties occasio periculum instituendi obvenit, toties timor nocendae retinuit. Enimvero in morbo iam conclamato et a glacie nil amplius expectaveram, ac in malo recenti, auxilia, ab experientia comprobata, remedio ab analogia tantum suggesto postponere nolui.“ P. I. V. II. p. 171.

æstum compescendo. Nihilominus talis effectus de synapismis tum solum obtinetur, dum scopis derivante in partibus a sede morbi remotis applicantur, — absit hinc ut collo admoveantur. Idem de *pediluviiis* (*Glisi, Lentin, Sachse*) et *balneis tepidis* (*Cheyne Vieusseux, Jurine, Albers*) contenditur, contradictibus quorundam observationibus, — (*J. Frank, Anderson, Rumsey, Hopfe*). — *Clysteres emollientes* peculiarem effectum non habuerunt, apud *Royer-Collard* nec drastici. — Quae singula si ad affectionem laryngis aut tracheae debellandam iam incassum adhibita fuerint. 5) *ad vesicatorium*, non quidem laryngi et tracheae (ob facilem communicationem irritationis per tenuia integumenta cum loco inflammato); sed lateribus colli, sterno, nuchae, vel inter scapulas applicandum, sine temporis iactura confugi debet. Cavendum ne illud plus, quam ad vesicam excitandam absolute opus sit derelinquatur. Hinc *Jurine* solum ad rubefactionem omitti svadet, dum *Sachse* effectum maiorem necessarium censet. — A *utrimo volatili*, utpote exhalatione sua respirationis angustias augente abstinendum. Idem relate ad usum externum *Camphoræ* svadendum. Nec applicatio *morvæ* vel *ferri candentis* ad latera laryngis, vel sub margine cartilaginis tyreoideae proposita, fautores facile inveniet. —

II. *Secundae* indicationi satisfaciunt. 1. *Emetica*, quae cum laryngem et tracheam immediate ab omni respirationis impedimento liberent, uno fere ore in cura anginae m. laudantur. Discrepant solum auctorum opiniones relate ad *tempus*. Alii enim docent emetica evacuationes sanguinis antecedere (*Maerker, Crawford, Albers, Bourov*), alii illas sequi (*Home, Formey, Jurine*,) debere. Veritatem et his in medio latere existimamus. Licet enim emetica ad secundam indicationem remiserimus propterea, quia rationi magis consonum est, causam antea morbi, quam illius effectum aggredi, utpote: quod prima indicatio esse non possit pseudomembranam remove, sed formationem eius praevertere: verum tamen illis a curae initio locum esse concedimus, si suffocationis imminens periculum, absentibus bronchitidis et peripneumoniae signis celerrimam liberationem laryngis et tracheae ab

inflammationis effectibus exposcat, atque via ipsam causam morbi adgrediendi nimis longa foret; \*) — si febris et inflammatio adeo lenes essent, ut a nisu sub vomitu nil detrimenti expectari posset, et si complicatio gastrica, vel ob praegressam ingluviem, vel ob genium morborum regnantium suspicaretur. — Praeterea emeticis bis terve et ultra repetitis locus est, si praecedentes doses effectu coronentur, sique humor veluti a membrana soluta per tracheam vicissim ascendente et descendente percipiatur. (Phaenomenon, quod auctores pro peculiari emeticorum indicatione agnoscunt): Inter emetica observatoribus *tartarus emeticus* optimum; cui anteponitur *radix ipecacuanhae*, si aegrotulus nimis sensibilis foret, aut diarrhoea laboraret. *Sulfas zinci*, *oxymel scillae*, et *vinum antimoniatum Huxhami*, nimis irritare, febremque augere possent. — Virtutem magnam emeticorum, et in specie *cupri sulphurici* in curanda tracheitide acuta infantum observationibus pluribus comprobat *Hufeland* (*Journal der pract. Heil.* 1834 Januar S. 17.) Quodcumque vero emeticum eligatur, peculiaris in hoc morbo ventriculi torpor maiores solito doses exposeit. — Si emetica plane effectu destituerentur, quid *penna* profunde in fauces ad aesophagum usque introducta valeat, experiendum (*Jurine*). — 2. *Expectorantia, diapnoica*. Cum emeticis, dosibus repetitis minimisque porrectis, iure tribuatur virtus sputa et transpirationem promovendi, in illis, vel absoluta emesi continuandum est. Quodsi usus tartratis lixivae stibitati (omni alio remedio diapnoico et expectoranti anteponendi) diutius protractus, aegrotulos nimis defatigaret, *sulfur auratum*, aut *kermes antimonii* illius vices agere possent; at cavendum, ne febris et status inflammatorius tubi aërei inde augeantur. Talis metus et respectu radicis *polygalae senegae* valet, de qua *Beauchene* asserit, eius decoctum non solum sputa non auxisse, sed ut videtur, illa retinuisse, fortiori addita febre; — ad

\*) Sic in ischuria ex cystitide, certe prima indicatio est, inflammationem vesicae urinae resolvendi; — at si copia enormis urinae periculum rupturae vesicae minaretur, quis ante omnia adplicationem catheteris, vel puncturam vesicae negligeret?

quod pharmacum, ab aliis laudatum, tunc solum devenire licet, cum exhausta methodo antiphlogistica vires decrescunt, facies pallet, cutis parum calet, pulsus mollis, urina aquea, aegri habitus flaccidus est, signaque diatheseos typhoidis obveniunt, verbo: dum indicatio, sputa et reiectionem pseudomembranae remedii irritantis ope promovendi viget. — 3. *Vapores, cataplasmata emollientia, et errhina*. Spes, vapores per inspirationem attractos, posse concreciones tubum aëreum obturantes solvere, rationi consona est. Commendantur revera huiusmodi vapores, elicit ex infuso sambuci, ex lacte calido, cum decocto althaeae, aut malvae, ex decocto capitum papaveris, ex aqua fervida simplici, vel cum aethere et aceto etc. Verum ardua pro infantibus vaporum evadit applicatio, cum ipsi a machinis inspirationi illorum dicatis abhorreant, et spongia aqua calida imbuta, orique admota in iis angustias respirationis plerumque adaugeat. — *Et cataplasmata emollientia* circa collum applicata, ac antequam frigescant renovata, laudantur, tum ex speciebus emollientibus, tum ex oryza, tum ex seminibus lini, tum ex herba hyoscyami et opio etc. Hujus generis auxilia sine damno aequè ac sine levamine pluries usurparunt auctores. Idem de *errhinis* fatentur, quae a *Lentino* commendantur et *Thilenio*, sub spe, posse nisus sub sternutatione tracheam a concrecionibus liberare. *Sachse* conspicuum ab iis effectum se obtinuisse docet. — 4. *Mercurius*. Pro hydrargyri in angina m. usu, inprimis urgente tussi sicca et ariditate tracheae, loquuntur effectus eius salutare in cura aliarum inflammationum cum proclivitate ad exsudationes, — spes ope huius pharmaci actionem systematis vasorum lymphaticorum excitandi, atque absorptionem lymphae coagulabilis secretae obtinendi, pseudomembranam per auctam secretionem mucii mobilem reddendi ac solvendi, vim morbi a canali respiratorio ad tubum intestinale revellendi, crisim per salivationem promovendi, aliaque colutoria aperiendi, ac tandem virtus specifica, quam mercurio medici Americae, Angliae et Germaniae tribuerunt. *Calomela* praeter sanguinis evacuationem ac emeticum est in curanda trachitide acuta infantum medicina efficacis-



sima; minime tamen semper necessaria, et inepte adhibita valde noxia. Eo non obstante minime diffitendum, analogiam, ratiocinium, et fidem auctorum non raro nos fallere! Observationes enim quas *J. Frank*, *Cheyne*, *Jurine*, *Albers*, *Huase* aliique fecerunt, docent, non solum mercurio nullam adversus croup virtutem specificam inesse, sed illum plurimis aliis auxiliis postponendum esse. Interea ne quid nimis! Quin nempe hydragyri alia certiora remedia devoveas, et quin gloriam in praescriptionem dosium enormium illius colles; requiritur tamen, saltem ne videaris aliquid omisisse, ut sub rerum positione supra allata ad illud confugias. Exhibebis *calomel*, si praeter generalem indicationem specialis illa viget, alvum aperiendi, vermesque fugandi. Infanti duorum annorum dosis grani unius quavis hora porrecta, et si febris non magna sit, cum exigua sulfuris aurati antimonii quantitate, \*) quadrat. Raro salivatio, sed saepius diarrhoea, vires exhauriens exspectanda, si inepte adhibita fuerit. Hac praesente plurimi connubium *opii* cum *calomel* sudent; — *J. Frank* vero loco *calomel unguentum hydragyri griseum* ad drachmas duas et ultra, nyctemeri spatio, lateribus colli; pectori illiniendum substituit. Sunt, qui *mercurio solubili Hahnemanni* maxime favent. — Denique 5.) *Hepar sulfuris et ammonia. Sulfuretum potassae* ut specificum contra anginam *m.* propositum, commendatione usurpata (Tribunal expertorum Parisiense) indignum plurimi invenerunt auctores. Ammoniam utpote hypothesis gratia in praxin introductam, scilicet ob id, quod pseudomembrana in angina *m.* ex albumine constet, et ammonia albumen solvat, — verum ut huiusmodi solutio contingere possit, contactus pseudomembranae cum ammonia requireretur, qui hic nullatenus exspectandus, cum pseudomembrana in larynge haereat, et ammonia per esophagum transeat, — honore experimenti vix digna est.

\*) pro infante duorum annorum:

Rpe. Pulv. Calomel. gr. sex.

Sulf. Aur. Antim. gr. duo.

Sacchari dr. semis.

M. div. in sex p. aeqn.

S. Capiat omni hora pulverem.

III. *Spiritus salis ammoniaci anisatus*, *elixir. pectorale regis Daniae*. Ph. Würtemb. et *sul volatile cornu cervi tum simplex tum camphorae* nuptum scopo sputa promovendi, viresque vitales sustinendi, forte maiori fide digna fuissent, si non auctores malos effectus e *camphora*, *cinchona*, et *opio* experti fuissent, successus a *moscho* et *asa foetida* defuisset, et observatio, artis hujusmodi inania conamina ultima miserorum vitae momenta saepe duriora reddidisse edocuisset. Haec omnia medicos non solum a supra dictis pharmacis, sed et ab aliis sic dictis excitantibus et antispasmodicis in cura anginae m. commendatis, e. gr. ab *aethere sulfurico* et *acetico*, *phosphoro castoreo*, *succino* etc. absterruerunt. Efficacioribus vero remediis destituti, tamen illorum usum proscribendum esse non censeo, inprimis si febris comitans indolem typhodem exhibeat. Efficacia *affusionum aquae frigidae* secunda quavis hora repetita, nondum, ab auctoribus confirmatur.

Quae copiosa praeterea ad sanandam anginam m. tam medica, quam chirurgica commendantur auxilia, partim superflua, partim periculosa, partim denique crudelia breviter commemorasse sat erit. *Tracheotomia* non solum in anginis; sed et in aliis tracheae morbis iam dudum commendata a plurimis, excepto casu corporis peregrini, merito reiicitur. Paucis enim operationi faventium argumentis multa opponi possunt. Sic aiunt: 1. tracheotomia operationem sistit haud periculosam; — imo periculosissimam ob facilem laesionem arteriarum thyreoidearum et nervorum, atque ob parvam laryngis in pueris diametrum. — 2. indicatur tracheotomia ob analogiam inter pseudomembranam anginae m. et corpora peregrina tracheae illapsa; — analogia ista vana est, nam hic agitur de causa morbi, ibi de effectu, et quidem de effectu non constante, at vero concessa praesentia pseudomembranae, quis illam parietibus tracheae adhaerentem separabit? quis illam ex bronchiis extrahet? Tandem si membrana ab adhaesionibus liberari, et extrahi etiam posset, liceret ne etiam inflammationem veram anginae m. causam, simul extrahere? Postremo ne unum quidem exemplum certum anginae m. saltem acutae, ope tracheotomiae, sanatae exstat.



## L i t e r a t u r a .

- Guil. Ballonius.* Op. med. T. 1. Epid. L. II. 1576.
- Fab. Hildanus.* Obs. Chir. Cent. III. Francof. 1646.
- Marcus Aurel. Severinus.* Paedanachone de pestil. ac  
praefoc. pueros abscessu. 1618.
- Boerhaave.* Aphorismi de cogn. et cur. morbis. Ve-  
netiis 1723.
- Martinus Ghisi.* Lettere mediche etc. 1747. 1748.
- Bergen* de morbo tracuento infantum. Francof. 1761.
- Wilcke.* Diss. de Angina infantum. Upsal. 1764.
- Home.* An inquiry into the nature, cause and cure of  
the croup. Edinb. 1765. versio germanica a *Mohr*  
cum adnotationibus *Albersii* 1809.
- Rush.* On the spasmodic asthma of children. Lond. 1770.
- Crawford.* Diss. de cynanche stridula. Edinb. 1771.
- Lentin.* Beob. d. epid. u. einig. sporad. Krankh. am Ober-  
halse. Lipsiae. 1803.
- Callissen.* Obs. de concretionem polyposa cava, tussis  
reiecta. Havn. 1777.
- C. F. Michaelis.* Diss. de Angina polyposa seu mem-  
branacea. Gött. 1778.
- Borrow.* Diss. on the cynanche trachealis. New-York.  
1793.
- Fürstenau.* Programma de Angina memb. 1794.
- Thilenius.* Med. Chir. Bemerkungen p. 52. 1809.
- Pinel.* La méd. clin. Paris 1803.

- Bard.* Richters Chirurg. Bibl. 5. Bd. p. 745.
- Jeffreys.* Diss. de cynanche tracheali. Edinb. 1804.
- J. A. Albers* Ueber den Croup. Bremen 1804.
- Goelis,* Tract. de rite cogn. et cūr. ang. memb. Vi-  
ennae 1813.
- Autenrieth.* Versuch für d. pr. Heilk. 1. B. 1807. 1 u.  
2. Heft.
- L. Jurine.* Abhandl. über d. Croup. etc. mit Anmerk.  
v. J. A. Albers. Leipzig 1816.
- Royer-Collard.* Rapport etc. an concours sur les croup  
etc. Paris 1812.
- Sachse.* Daß wissenwürdigste über die häutige Bräune.  
Hannov. 1812.
- Hause.* Decouv. sur le croup. Mosc. 1818.
- Portal.* De l'angine membr. Paris 1808.
- Hecker.* Von der Entzündung im Halse. etc. Berlin  
1809.
- Markus.* Ueber d. Natur u. Behandlungsart d. häutig. Bräu-  
ne. Bamberg 1810.
- J. Frank* Praxeos medicae praecepta Lipsiae 1823.
- G. A. Richter* Specielle Therapie 1. Bd. 1. Abth.  
Berlin 1821.
- M. E. A. Naumann.* Handbuch d. medic. Klinik 2. Bd.  
Berlin 1830.
- M. Hirtling.* Diss. de angina m. Pesthini 1832.
- Fr. Bene.* Elementa medicinae practicae Tom. II Pe-  
sthini 1833.
-

# **T h e s e s .**

---

1.

**Essentia anginae membranaceae non consistit in formatione pseudomembranae.**

2.

**Functio lienis cum cholopoësi arctissime nectitur.**

3.

**Radix encephali est medulla spinalis.**

4.

**Venenorum narcoticorum actio est negativa.**

5.

**Ophthalmiae topico tractamine non sanantur.**

6.

**Chirurgia Medicinae auxilio eget.**

7.

**Inter methodos medendi antiphlogistica latissime patet.**

8.

**Februm pertinacium causa saepe ab inflammatione latente derivanda est.**

9.

**Nosocomia Polyclinica praefenda.**

---